



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Anscharivs Cvm Discipvlo Bremensis & Hamburgensis Episcopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

vt inde intelligeretur suffragiis orationum sanctam animam non indigere, credo, inquit Thomas, quòd & idem mihi d sepulchrum illius contigerit oranti. Parentes verò post mortem prolis, sæculum deseruerunt, & pater Ordinem Prædicatorum est ingressus, mater verò Cisterciensium. Hactenus Cantipratanus.

## ARNVLPHVS MAIORICENSIS.

**H**abitu Cisterciensi indutus est à Bernardo in Monasterio Clare-vallis, in Flandria verò natus) insigni floruit sanctitate. Vide in D. Bernardo de eodem plura. Meminit & eiusdem Molanus in natalibus vigesimâ die Augusti vbi de beneficiis à Diuo Bernardo in Belgio præstitis agit. Sed & in Flandria cùm prædicaret, inquit Gaufridus Clare-Vallensis libro 4. cap. 3. vitæ, multi nobiles, multi sapientes, & litterati viri sub ipsius magisterio sacram professi sunt seruitutem. Inter quos primus videbatur GAVFRIDVS ille de Perona, qui postea in Clara Valle Prioris officio functus est, & defunctus in eo, celebris est enim memoria inter initia Ordinis Cisterciensis viri illustris Arnulphi de Majorca, quem Bernardus è Flandria, de sæculi fructibus ad littus conuersionis Clare-Vallem adtraxit. *Vide Meyerū.*

## ANSCHARIVS CVM DISCIPVLO

*Bremensis & Hamburgensis Episcopus.*

**F**Vit is Danorum, Suecorum & aliorum populorum Septentrionalium Apostolus. Instruxit idem Frisios ac Flandros, & nominatim in Flandria possedit Monasterium Thoroltanum (quod nunc Canoniorum S. Petri Colle. *3. Febr.*)

D

Colle.



Collegium est) quod Ludouicus Pius Imp. viro Apostolico inopiâ laboranti in vitæ subsidium adtribuerat. Eodem in loco puerum inuenit & educandum curauit S. Rembertum suum in Episcopatu & Apostolatu successorem. Sedit Ansharius in Episcopatu annis triginta quatuor. Primis annis septem Hamburgi, dein post barbaricam Hamburgi incursionem, annis nouem in Ramsola: reliquis verò annis Bremæ, vbi in matrice Ecclesia S. Petri sepultus est: in quam S. Willehadum transtulerat. Ab Haraldo autem Danorum Rege & Ludouico Augusto missus est ad Aquilonares illos. Plura vide apud Molanum.

### ADELTRVDIS GANDAVI.

19. *Mar.* **A** Martino Primo Pontifice Maximo, vt alibi quoque annotamus, B. Amando, cum Romam veniens Pontifici declarasset se non sufficere ad copiosissimam messem in Christi horreum conferendam, adiunctus est B. Landoaldus, venere porrò cum Landoaldo alij decem eiusdem animi sodales, quos inter fuere sanctus Amantius Diaconus, sanctus Adrianus martyr & internuntius Landoaldi S. Vinciana virgo, Landoaldi foror, & S. ADELTRVDIS itidem virgo. Horum omnium Sanctorum corpora ex Wintershouia ditionis Leodicensis vico Ganduum anno 980. ad sancti Bauonis Monasterium transtulit Vuomarus Abbas. Caterum gesta sancti Landoaldi & sociorum eius descripsere Notgerus Episcopus Leodicensis & Herigerus Abbas Laubiensis.

### A D I L I A.

25. *Maij* **O** Ctauo Kal. Iunij ADILIAE fororis sancti Bauonis. Hæc verba obseruauit Molanus in Bibliotheca Bauoniana